

DISSERTATIO IV.

De Eucharistia.

Quaeres. **Q**uot modis spectetur Eucharistia?

Resp. Spectatur ut Sacramentum, et ut est Sacrificium, de quibus agendum habemus duplici Capite.

CAPUT I.

De Eucharistia, ut est Sacramentum.

Nota. **A**gemus, 1. de essentia, 2. de materia et forma, 3. de re in Eucharistia contenta, 4. de ministro et subjecto, 5. de usu, 6. de effectibus Eucharistiae.

§ I. De essentia Eucharistiae.

Quaeres 1. Quid sit Eucharistia.

Resp. Definitur, Sacramentum a Christo institutum ad spiritualem animae refectionem, in quo Corpus et Sanguis Christi, vere, realiter, et substantialiter continentur sub speciebus panis et vini.

Quaeres 2. Utrum Eucharistia sit verum Sacramentum?

Resp. affirm. Nam 1. est signum sacrum, sensibile per species panis et vini, 2. Est signum gratiae invisibilis, spiritualis scilicet refectionis, Joann. 6. Qui manducat meam carnem, et bibit meum Sanguinem, habet vitam aeternam. 3. Est a Christo permanenter instituta, juxta illud: Hoc facite in meam commemorationem.

Quaeres 3. Utrum Eucharistia consistat in usu et sumptione, vel in re permanente?

de Sacramentis.

Resp. Consistit in re permanente: nam 1. Christus prius protulit verba consecratoria, quam Corpus ad manducandum, et Sanguinem ad bibendum Apostolis porrexerit; ergo ante actualem usum et manducationem fuerunt sub speciebus; ergo fuit verum Sacramentum, 2. Ab ipso Apostolorum tempore, Eucharistia asservabatur domi, et ad absentes et aegrotantes deferebatur. Ad quam praxim et traditionem attendens Concil. Trident. anathemate pereellit eos qui dixerunt, In Hostiis seu particulis consecratis, quae post Communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini.

Objicies. Omne Sacramentum constat rebus tanquam materia, et verbis tanquam forma; atqui Eucharistia post consecrationem non constat verbis; ergo.

Resp. Dist. maj. Sacramentum in fieri, conc. in facto esse, nego. Hic autem loquimur de Sacramento in facto esse, quod licet extrinsece confectum sit verbis, tamen intrinsece componitur Corpore, et Sanguine Christi, non verbis. . . . Ergo Eucharistia non consistit essentialiter in consecratione, cum constet verbis quae fluunt ac transeunt.

Quaeres 4. Utrum Eucharistia consistat essentialiter in solis speciebus?

Resp. negat. Nam Eucharistia gratiam confert; adoratur a fidelibus, conficitur a ministris, quae omnia non conveniunt solis speciebus.

Objicies. Innoc. III. tria distinguit in Eucharistia, nempe, Sacramentum tantum, res Sacramenti tantum, res Sacramenti et Sacramentum simul, additque species esse Sacramentum tantum; ergo, &c.

Resp. Sumit nomen Sacramentum inadaequate, pro eo praecise quod significat, non pro eo quod significat simul et significatur.

Quaeres 5. Utrum essentialiter consistat in solo corpore et sanguine Christi?

Resp. negat. Nam Corpus et Sanguis solus, non sunt quid sensibile, est tamen de ratione Sacramenti quod sit signum sensibile.

Quaeres 6. *In quo ergo Eucharistia essentialiter consistat?*

Resp. Consistit essentialiter et adaequate in speciebus simul et corpore ac sanguine Christi, quia huic complexo apprime conveniunt omnes veri Sacramenti conditiones; est enim signum sensibile per species, gratiae invisibilis per Corpus et Sanguinem Christi, &c. Unde species in hoc Sacramento habent rationem materiae, et Corpus ac Sanguis Christi rationem formae.

Quaeres 7. *Utrum Eucharistia, quae duplici constat specie, sit duplex Sacramentum?*

Resp. Est unum tantum: quia, licet duabus speciebus constet, unicam tamen confert gratiam sacramentalem, refectionem scilicet spiritualem; ergo.

§ II. *De materia et forma Eucharistiae in fieri.*

Quaeres 1. *Quaenam sit materia Eucharistiae in fieri?*

Resp. Est panis pro consecrando Corpore, et vinum pro consecrando Sanguine.

Quaeres 2. *Quinam panis sit materia necessaria Eucharistiae?*

Resp. Est Panis triticeus, et non alius: nam panis quo Christus usus est dum Eucharistiam, instituit, vocatur panis simpliciter et sine addito, Luc. 22. *Accipit Jesus panem, &c.* Atqui solus panis triticeus est, et vocatur panis simpliciter: alii vero panes, dicuntur panes secundum quid, et cum addito. v. gr. *Panis hordeaceus, panis ex fabis, &c.* Hinc Conc. Florent. in decreto, ait *Eucharistiae... materia, est panis triticeus, et vinum de vite.*

Quaeres 3. *Utrum panis debeat esse azymus, vel fermentatus?*

Resp. In utroque valide conficitur Sacramentum, quia uterque est verus panis simpliciter dictus, nec differunt inter se, nisi accidentaliter: Unde Concil. Florent. in decreto, ait: *Definimus in azymo, sive in fermentato pane triticeo Christi Corpus veraciter confici.*

Dixi: *Valide conficitur Sacramentum:* quia, ut sit licita consecratio, quilibet Sacerdos tenetur sequi leges Ecclesiae, quae in Concil. Florent. definit, ut Latini Sacerdotes azymum, et Graeci fermentatum consecrent, *juxta suae Ecclesiae orientalis, sive occidentalis, consuetudinem.*

Quaeres 4. *In quo pane Christus consecraverit?*

Resp. Consecravit in azymo. Nam Eucharistiam instituit *primo die azymorum;* Marci 14. Atqui a prima vespera primi diei azymorum usque ad septimum diem, nullo modo licebat Judaeis uti pane fermentato, imo nec illius frustulum domi asservare; ergo Christus, utpote legis observantissimus, consecravit in azymo.

Objicies. Christus ultimam coenam celebravit *ante diem festum Paschae,* Joann. 13; ergo, &c.

Resp. Joannes loquitur de die naturali Paschae, quae incipiebat ab ortu solis ad occasum, et eo anno incidebat in diem veneris; sed non loquitur de die caeremoniali, quae inceperat die jovis ad vesperam.

Inst. Christus non est mortuus in die solemni Paschae: nam 1. dies veneris, qua Christus mortuus est, dicitur praeparatio ad Pascha. Joann. 10. *Erat parasceve Paschae.* 2. Judaei dicebant, *non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.*

Resp. ad 1. Parasceve, de quo D. Joann. loquitur, non fuit ad ipsam diem Paschae, sed ad diem Sabbati, qui eo anno incidebat in diem secundam azymorum: neque enim dies Paschae habebat *parasceve,* quia ipso

Paschatis die, et omnibus diebus paschalibus licebat ea praeeparare, quae ad victum erant necessaria.

Resp. ad 2. Quod quidem Iudaei, ob metum tumultus in ea fuerint sententia, sed praevaluere suffragia, quibus deliberatum est non praetermittendam esse occasionem Jesum capiendi, et occidendi, violatis omnibus iustitiae et religionis iuribus.

Quaeres 5. *Quodnam vinum sit materia necessaria Eucharistiae?*

Resp. Est vinum de vite, Matth. 26. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis.* Hinc invalida est consecratio tentata in omphacio, aceto, &c. quia non sunt vinum. Nec uva ex qua nondum expressum est vinum, quia non est potabilis; sed tantum manducabilis. Valet tamen consecratio in musto et vino accecente, quia retinent naturam vini, est tamen illicita ob faeces adjunctas, et alterationem.

Quaeres 6. *Utrum aqua debeat vino consecrando admisceri?*

Resp. Debet ex praecepto ecclesiastico, ut constat ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 7. *Monet sancta Synodus, inquit, praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent, tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum, hac mixtione recolitur, &c.*

Objicies. Ex Conc. Carthaginensi III. mixtio aquae fuit a Christo tradita; ergo.

Resp. Dist. ant. Fuit tradita, tanquam exemplum, quod convenit sequi, conc. tanquam praeceptum, nego. Constat ex Concil. Trid.

Quaeres 7. *In qua quantitate aqua vino debet misceri?*

Resp. In modica quantitate, ut constat tum ex praxi Ecclesiae, tum ex Conc. Florent. docente materiam calicis esse vinum de vite, cui ante consecrationem aqua modicissima admisceri debet. Illaque mixtio de-

bet fieri tempore Missae, alioquin sacram non haberet significationem.

Quaeres 8. *Utrum Christus verbis ad-consecrandum usus fuerit?*

Resp. affirm. Nam ita docent SS. PP. Tertul. *lib. 4. contra Marcion. cap. 40.* ait: *Acceptum panem et distributum discipulis, Corpus suum fecit dicendo: Hoc est corpus meum, &c.* D. Ambros. *lib. 4. de Sacramento, cap. 4.* dicit: *Consecratio cujus verbis est, aut cujus sermonibus? Domino Jesu. . . . ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.* Hinc Conc. Florent. ait: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum: Sacerdos enim in persona Christi hoc conficit Sacramentum.*

Objicies. Marci 14. dicitur: *Et accepto calice, gratias agens dedit eis, et biberunt ex illo omnes. Et ait illis, Hic est Sanguis meus, &c.* Ex quo sic arguo: Prius Apostoli panem Eucharisticum et Calicem sumpserant, quam dixisset Christus: *Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus, &c.* Ergo non istis verbis consecravit, sed praecedente benedictione.

Resp. Nego ant. Nam D. Marcus non est secutus ordinem narrationis, ut constat ex aliis Evangelistis et Apostolo; sed haec verba: *Biberunt ex illo, omnes;* protulit per anticipationem, ut nempe praeceptum Christi de sumendo calice conjungeret cum ejus executione.

Quaeres 9. *Quaenam verba essentialiter Eucharistiae formam constituent?*

Resp. Sunt ista: *Hoc est Corpus meum. Hic est calix Sanguinis mei,* vel, ut habet Marcus, *Hic est Sanguis meus.* Nam illa omnia verba, et quidem sola, perfecte significant transubstantiationem panis in Corpus, et vini in Sanguinem Christi; ergo illam efficiunt. . . . ergo haec verba, *qui pridie quam pateretur, &c.* non sunt de essentia formae, quia non sunt verba Christi, sicut nec particula *enim.* . . . Quoad ista verba: *Accipi-*

te, manducate, et bibite: novi et aeterni Sacramenti sunt quidem verba Christi, sed non sunt de essentia formae, quia non significant transubstantiationem.

Objicies 1. Multi Patres asserunt Eucharistiam oratione consecrari; ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Nam illi Patres per orationem intelligunt verba Christi, quae fiunt implicita oratio, quatenus Deum efficaciter movet ad effectum sacramentalem producendum.

Objicies 2. In Liturgia D. Chrysost. Sacerdos, post prolationem verborum Christi, sic orat: *Fac panem istum pretiosum Corpus Christi tui, transmutans Spiritu Sancto tuo.* Ergo supponit nondum factam esse transubstantiationem.

Resp. cum Arcudio, *lib. 3 cap. 33.* Latinos S. Chrysostomi verba male omnino reddidisse, quae juxta textum graecum sic reddi debent: *Fac ut panis, quem Spiritu Sancto tuo transmutasti in pretiosum Corpus Christi tui, fiat suscipientibus in salutem.*

Quaeres 10. *Utrum verba consecratoria proferantur a Sacerdote historice vel assertive?*

Resp. Utroque modo proferuntur: *historice* quidem, quia referuntur tanquam a Christo dicta: *assertive* etiam, quia proferuntur a Sacerdote in persona Christi, cum intentione exereendi ipsam propositionis significationem.

Quaeres 11. *Quid pronomina, hoc et hic, significant in forma Eucharistiae?*

Resp. Significant Corpus et Sanguinem Christi, sub confusa ratione rei contentae sub speciebus panis et vini in fine prolationis formae consecratoriae. Quia pronomina demonstrativa, substantive posita in propositione practica, significant tantum confuse id quod existit in fine prolationis verborum; atqui pronomina *hoc* et *hic*, sunt substantive posita in prop. practica; ergo significant tantum confuse id quod existit in fine pro-

lationis verborum; illud autem est Corpus et Sanguis Christi.

Objicies. Pronomen *hoc*, significat id quod praesens est; ergo significat panem.

Resp. Neg. ant. Nam in propositionibus practicis, non demonstratur, nisi id quod vi illarum fit, et nihil fit vi illarum nisi integre sint prolatae, sed semel completae significant distincte terminum ad quem, qui solus remanet, et quem ab initio prolationis confuse tantum significabant.

Inst. Si pronomem *hoc*, Corpus Christi significet, propositio ista: *Hoc est Corpus meum*, erit identica et nugatoria; falsum conseq. ergo.

Resp. Nego seq. maj. Nam ut propos. sit identica, non sufficit, ut idem sit praedicatum et subjectum, sed etiam requiritur ut sit idem significandi modus; hic autem quod per subjectum, nempe pronomem *hoc*, confuse significatur, per praedicatum, nempe, *Corpus meum*, distincte significatur.

§. III. De re in Eucharistia contenta.

Quaeres 1. *Quinam negarunt realem praesentiam Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia?*

Resp. Negarunt IX. labente saeculo, *Joannes Eri-gena*, natione Scotus. Saeculo XI. *Berengarius*, Ecclesiae Andegavensis Archidiaconus. Saeculo XII. *Petrus de Bruis*, et *Henricus*, ejus discipulus. Saeculo XVI. *Carlostadius* Wittembergensis, *Oecolampadus*, *Zuinglius*, et *Bucerus*. Denique eodem Saeculo XVI. *Calvinus*, qui asseruit non aliam esse praesentiam quam figuratam, objective per finem vel virtutem a Christo diffusam, ad quam fraudem elidendam Concil. Trident. definivit Christum *vere, realiter, ac substantialiter*, in Eucharistia praesentem esse.

Quaeres 2. *Utrum dogma praesentiae realis possit demonstrari ex verbis promissionis?*

Resp. Potest. Nam haec Christi verba, Joan. 6: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. . . . caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*, in sensu reali accepta, significant realem Praesentiam Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia; atqui debent accipi in sensu proprio, quia 1. Nulla es necessitas ea detorquendi in sensum metaphoricum. 2. Quia Judaei, et discipuli Christi, illa verba intellexerunt de manducatione vere et orali, ut constat ex contextu, rec tamen Christus hanc illorum opinionem correxit, imo juramento firmavit, dicens: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Additque discipulis: *Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius? (subintellige, quid dicetis aut facietis)?* ergo &c.

Objicies 1. Christus exponens quo sensu dixerit: *Caro mea vere est cibus*, &c. ait: *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam*. Ergo ejus verba sunt metaphorice intelligenda de spiritali manducatione.

Resp. *Nego* conseq. Christus enim ibi non loquitur de sua carne, sed de hominibus carnaliter sentientibus, ut exponit D. Chrysost. hom. 46. in Joann. dicens: *Quomodo igitur ait: caro non prodest quidquam? non de sua carne dicit, absit; sed de his qui carnaliter accipiunt quae dicuntur*. Unde Christus per Verbum, *Spiritus*, intelligit, sua verba spiritaliter intellecta; et per verbum, *caro*, intelligit, sua verba carnaliter intellecta.

Objicies 2. D. Aug. Tract. 25. in Joann. ait: *Ut quid paras dentes et ventrem? crede et manducasti*. Ergo caput 6 Joannis exponit de manducatione per fidem.

Resp. *Nego* conseq. Nam D. August. ibi exponit hunc versum: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille*, qui est versus 29. capitis 6. Joannis, et qui

est de fide in Christum. Pro cujus intelligentia nota sextum caput Joannis tres continere partes: *Prima*, a versu 1. ad vigesimum quintum, loquitur de multiplicatione quinque panum, quibus in deserto saturati sunt 5000. hominum. *Secunda*, a versu 25. ad versum 52. de cibo mere spiritali, nempe de fide in Christum. *Tertia*, a versu 52. ad finem agit de manducatione orali carnis Christi in Eucharistia; ergo versus 29. non est de Eucharistia.

Inst. 1. D. Aug. explicans tertiam partem capitis 6. Joannis, lib. 3. de doct. Christ. cap. 16. ait: *Haec locutio, nisi manducaveritis, &c. facinus vel flagitium videtur jubere*. Ergo.

Resp. *Dist.* Si sumatur sensu Capharnaico, conc. sacramentaliter, *nego*.

Inst. 2. Div. Aug. addit: *Figura est ergo praecipiens passioni Domini esse communicandum*.

Resp. *Dist.* Est figura plena, continens rei veritatem, *conc.* est figura vacua, excludens rei veritatem, *nego*. Sumit ergo *to figura* pro speciebus, ut sese explicat Tract. 25. in Joann. dicens: *Corpus Christi et Sanguis, ut panis et vini substantia efficitur, figura vero est illud, quod exterius sumitur*.

Quaeres 3. *Utrum praesentia realis possit probari ex his verbis: Hoc est Corpus meum. Hic est Sanguis meus, quibus Christus instituit Eucharistiam?*

Resp. Potest. Nam 1. juxta regulam ab August. traditam lib. 3. de doct. Christ. cap. 10. *Verba Scripturae sensu proprio et naturali debent intelligi, quando nihil continent, quod repugnet aut bonis moribus, aut f. dei, aut aliis ejusdem Scripturae testimoniis clarioribus*. Atqui verba laudata nihil continent quod repugnet bonis moribus, ut fatentur Calvinistae, aut quod repugnet aliis ejusdem Scripturae testimoniis clarioribus, nullum enim hactenus protulere novatores, nec ullus afferri potest; ergo.

2. Quia ex nullo capite in hac Christi prop. *Hoc est Corpus meum*, potest colligi sensus metaphoricus. *Non ex communi usu loquendi*; namque panis, ex recepto usu, non est destinatus ad significandum Corpus Christi, ut, demonstrato pane possit dici, *hoc est Corpus*. Neque etiam 2. *ex contextu sermonis*, nihil enim est in antecedentibus aut consequentibus, ex quo possit colligi Christum figurate locutum fuisse. Neque 3. *ex ipsius loquentis expositione*, quia de facto nulla est, ut legenti Evangelium patebit; ergo &c.

Objicies 1. In hac pro. *Hoc est Corpus meum*, subiectum est panis; atqui repugnat panem esse Corpus Christi; ergo prop. figurate est accipienda.

Resp. Nego maj. Nam pronomen *hoc*, sumitur substantive; ergo non significat panem, sed significat confuse rem contentam sub speciebus panis.

Inst. Pronomen *hoc*, significat quod Christus tenebat prae manibus; atqui panem tenebat prae manibus; ergo, &c.

Resp. Dist. maj. Quod tenebat prae manibus, completa propositione, *conc.* ante prop. completam, *nego*. Porro Christus completa prop. practica prae manibus tenebat Corpus suum, non panem.

Objicies 2. In hac prop. Genes. 41. *Septem spicae plenae, septem ubertatis anni sunt*; verbum, *sunt*, sumitur pro *significat*; ergo et in hac, *hoc est Corpus meum*, verbum, *est*, sumitur pro *significat*.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod in primo textu sit manifesta repugnantia; econtra in secundo est perfecta identitas.

Quaeres 4. *Utrum praesentia realis possit demonstrari ex traditione?*

Resp. Potest: illiusque traditionis testes sunt Concilia et Patres: ex innumeris textibus, paucos referemus.

Conc. Nicaenum. I. sect. 3. *de sacra mensa*, ait: *In-*

telligamus si tum in illa sacra mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus imolatum, et pretiosum ejus Corpus et Sanguinem vere sumentes, credamus, haec esse nostrae redemptionis symbola.

Concil. Nicaenum II. Act. 6. *Liquido monstratum est, quod nusquam Dominus, vel Apostoli, aut Patres, imaginem dixerunt, Sacrificium sine Sanguine, sed ipsum Corpus, ipsum Sanguinem.* Omittimus Concilia, Romanum, contra Berengarium; Viennense, in decreto de festo Corporis Domini; Florentinum et Tridentinum, in quibus praesentia realis fuit declarata et definita, ut deveniamus ad Patrum testimonia.

D. Cyprian. de coena Domini: *Panis iste, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi, factus est caro.*

D. Damasc. lib. 4. *de fide*, cap. 14. ait: *Domino dicente: Hoc est meum, non figura Corporis, sed Corpus, et non figura Sanguinis, sed Sanguis.*

Theophylactus, in cap. 6. Matth. *Non enim dixit: Hoc est figura, sed hoc est Corpus meum: panis quidem apparet, sed caro est.*

Objicies 1. Tertull. lib. 4. *contra Marcion*. cap. 40. ait: *Acceptum panem, et distributum discipulis, Corpus suum illum fecit, hoc est Corpus meum dicendo, id est figura Corporis mei*; ergo in Eucharistia est sola figura Corporis Christi.

Resp. Nego conseq. Ista enim verba, *figura Corporis mei*, non cadunt supra, *Corpus meum*, sed supra *acceptum panem*, ut concluderet contra Marcionem, legem veterem non fuisse malam, cum illius figuras Christus adimpleverit, quando scilicet panem, qui, apud Jeremiam, erat figura Corporis sui, reipsa fecit Corpus suum, *dicendo, hoc est Corpus meum*; unde addit: *Figura enim non fuisset, nisi veritatis esset Corpus.*

Objicies 2. D. August. lib. 3. *de Trinit.* ait: *Cor-*

pus Christi verum non frangitur: igitur verus est panis qui sumitur, cum Eucharistia sumitur: Ergo.

Resp. Dist. ant. Verus est panis, quoad species, *conc.* quoad substantiam, *nego.* Itaque D. August. intendit probare Corpus Christi, cum sit incorruptibile, non posse frangi in se, sed tantum in speciebus panis et vini.

Quaeres 5. Utrum Christus ponatur in Eucharistia per impanationem?

Resp. negat. Nam impanatio, est unio hypostatica Christi cum pane; atqui Christus non unitur hypostatice cum pane; alias non esset vera panis conversio in Corpus Christi, item verae essent istae propositiones: *Panis est Corpus Christi; Corpus Christi est panis;* quod falsum est; ergo, &c.

Quaeres 6. Utrum Corpus et Sanguis Christi ponantur in Eucharistia per consubstantiationem?

Resp. negat. Nam consubstantiatio est simultanea panis, et Corporis Christi praesentia in Eucharistia; atqui de fide est quod tota substantia panis convertatur in Corpus Christi; ergo de fide est, quod non remaneat panis in Eucharistia, ut definiuit Ecclesia contra Lutherum.

Quaeres 7. Quo modo ergo Corpus et Sanguis Christi ponuntur in Eucharistia?

Resp. Per transubstantiationem: nam ex Coneil. Trident. transubstantiatio est, *mirabilis et singularis conversio totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem (Christi) manentibus distinctat speciebus panis et vini.* Atqui sic ponitur Christus in Eucharistia; ergo, &c.

Obijcies 1. Vox, transubstantiatio, est nova; ergo est suspecta et eliminanda.

Resp. Dist. ant. Est nova grammaticaliter, et quoad syllabas, *conc.* quoad rem, *nego.*

Obijcies 2. Haec prop. de lagena vino plena, hoc est

vinum, est vera sine conversione lagenae in vinum; ergo a pari, &c.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quod, secundum communem usum loquendi, continens sit institutum ad demonstrandum contentum; at panis et vinum non sunt instituta ad aliud continendum.

Obijcies 3. In omni mutatione substantiali, materia rei conversae remanet sub nova forma quam acquirit; ergo, &c.

Resp. Dist. ant. In mutatione naturali et formali tantum, *conc.* miraculosa et totali, *nego.* Porro conversio panis in Corpus Christi, est miraculosa et totalis.

Quaeres 8. Utrum consubstantiatio sit vera Corporis et Sanguinis Christi reproductio?

Resp. affirm. Nam Corpus et Sanguis Christi in Eucharistia accipiunt idem numero esse secundum omnes gradus suos, tum physicos, tum metaphysicos; ergo, &c.

Dices cum Scotistis. Transubstantiatio est simplex corporis et sanguinis adductio; ergo, &c.

Resp. Nego ant. Nam transubstantiatio formaliter dicit conversionem; sed simplex adductio non importat conversionem, sed tantum translationem de loco in locum; ergo.

Quaeres 9. Quotuplici modo aliquid potest poni in Eucharistia?

Resp. Duplici, nempe, *vi verborum,* et, *per concomitantiam...* ponitur *vi verborum,* quod expresse significatur per verba formae... ponitur *per concomitantiam,* quod per verba formae exprimitur, sed habet necessariam connexionem cum eo quod exprimitur per verba formae.

Quaeres 10. Quanam ponuntur in Eucharistia vi verborum?

Resp. Solum Corpus sub specie panis, et solus Sanguis.

guis sub specie vini: nam per verba consecrationis panis, solum Corpus, et per verba consecrationis vini, solus Sanguis expresse significantur.

Quaeres 11. *Quaenam ponuntur in Eucharistia per concomitantiam?*

Resp. 1. Sub specie panis ponitur Sanguis et anima; nam Corpus Christi in Eucharistia, ratione concomitantiae, est vivens; at non potest esse vivens sine Sanguine et anima. 2. Sub specie vini, ponitur Corpus et anima, quia sanguis hominis viventis non potest esse sine corpore et anima. 3. Sub utraque specie ponitur divinitas, quia quod semel Christi divinitas assumpsit, nunquam dimisit; atqui assumpsit omnes partes hominis; ergo eas nunquam dimisit.

Objicies. Sanguis est pars corporis, non secus ac ossa, nervi &c.; ergo est sub specie panis, *vi verborum.*

Resp. Dist. ant. Est pars corporis vivi et animati, *conc.* corporis mortui, *nego.* Porro, Corpus Christi est in Eucharistia ut immolatum, non autem est vivens, nisi ratione concomitantiae, qua fit ut anima post resurrectionem unita Corpori ab eo amplius separari non possit.

Quaeres 12. *Utrum totus Christus sit sub qualibet parte specierum panis et vini?*

Resp. 1. Est sub qualibet minima parte, separatione facta, ut definivit Conc. Trident. *sess. 13. can. 3.*

Resp. 2. Est etiam ante separationem; nam per divisionem non fit nova consecratio, quae de novo sistat corpus praesens; ergo si non est praesens ante divisionem, nec est praesens post divisionem, quod est haereticum . . . nec sequitur quod Christus sit pluries in eadem Hostia; nam numerus supponit divisionem.

Quaeres 13. *Utrum Corpus Christi in Eucharistia habeat suam quantitatem?*

Resp. 1. Habet quantitatem internam: nam quantitas interna, est accidens quod distinguit partes a par-

tibus in ordine ad se, cum proxima aptitudine ad extensionem externam et impenetrationem; atqui Corpus Christi in Eucharistia, utpote organizatum, habet partes extra partes in ordine ad se cum aptitudine ad extensionem externam et impenetrationem; ergo, &c.

Resp. 2. Non habet quantitatem externam; nam quantitas externa est accidens, quod extendit substantiam in ordine ad locum, ita ut una pars respondeat uni parti loci, altera alteri, cum actuali impenetratione et resistentia; atqui Corpus Christi in Eucharistia nullum locum occupat per partes, nec est actu extensum, divisibile, et impenetrabile; ergo, &c.

Ergo, licet Christus in Eucharistia possit eligere actiones spirituales, ut sunt volitio, intellectio, non potest tamen elicere actiones a sensibus dependentes, ut sunt visio, auditio; quia, cum ejus sensus non habeant suam extensionem externam, nullas possunt species ab objectis recipere; atqui sensus externi non agunt nisi per species ab objectis receptas; ergo, &c.

Ergo, Christus in Eucharistia non potest pati alterationem ab agentibus naturalibus, v. g. *calefieri, frige fieri, &c.* quia alteratio requirit contactum quantitativum, cujus non est capax corpus quantitate externa privatum. . . . propter eandem rationem, non potest moveri per se, sed tantum per accidens, ad motum scilicet specierum, ut patet, cum ex Conc. Trid. deferatur ad infirmos.

Quaeres 14. *Utrum accidentia post consecrationem remanentia habeant aliquod subjectum?*

Nota. Duplex esse accidentium subjectum, nempe, *mediatum*, quod est substantia, cui inhaeret tota collectio accidentium. Et *immediatum*, quod est quantitas, cui insunt alia accidentia.

Resp. 1. Non habent subjectum mediatum, quia tota substantia panis et vini conversa est in Corpus et Sanguinem Christi, ut definivit Concil. Trident. *sess.*

13. can. 2. unde Concil. Constantiense damnavit hanc prop. Wiclefi: *Accidentia panis non manent sine subjecto.*

Resp. 2. Habent subjectum immediatum, quia sicut accidentia panis et vini, puta calor, frigus, &c. subie-
ctabantur immediate in quantitate ante consecrationem, et mediante quantitate in ipsa panis substantia, ita et post consecrationem, sublata substantia, subjectantur in quantitate.

Objicies. Esse in subjecto mediato est de essentia accidentis; ergo &c.

Resp. Dist. ant. Esse in subjecto mediato, aptitudi-
ne et radicaliter, *conc.* actu, *nego.* Nam inhaerentia radicalis et aptitudinalis, non autem actualis est de essentia accidentis.

Quaeres 15. *Quandonam Corpus Christi desinat esse sub speciebus?*

Resp. Desinit quando accidentia necessaria ad conservandam substantiam panis et vini corrupta sunt.

§ IV. De ministro, et subjecto Eucharistiae.

Quaeres 1. *Quinam sit minister Eucharistiae conficiendae?*

Resp. Est solus sacerdos rite ordinatus: nam solis sacerdotibus Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut constat ex perpetua tradit. Ecclesiae, et hac Concil. Trident. definitione sess. 22. can. 3. *Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christus non instituisse Apostolos, Sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum, anathema sit.*

Objiciet Lutherus. D. Petrus, *Epist.* 1. cap. 2. alloquens omnes fideles, ait: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium;* ergo omnes sunt Sacerdotes.

Resp. Dist. conseq. Sunt Sacerdotes, Sacerdotio improprie sumpto, nempe, pro spirituali potestate of-

ferendi Deo preces, et alia pietatis opera, quae sunt spirituales hostiae, *conc.* Sacerdotio proprie sumpto, nempe, pro potestate consecrandi Eucharistiam, *nego.* Seipsum exponit D. Petrus, cum addit: *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo per Jesum Christum.*

Quaeres 2. *Quotuplex est minister Eucharistiae dispensandae?*

Resp. Duplex, nempe, *ordinarius*, qui eam auctoritative dispensat. Et *extraordinarius*, qui eam dispensat ex commissione Episcopi, vel Sacerdotis.

Quaeres 3. *Quinam sunt ordinarii ministri dispensandae Eucharistiae?*

Resp. Sunt soli Sacerdotes: nam confectio Eucharistiae ordinatur ad ejusdem dispensationem; ergo soli possunt auctoritative Eucharistiam dispensare, qui possunt eam conficere. Hinc Concil. Trident. sess. 13. cap. 8. ait: *Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent. . . . qui mos tanquam ex traditione apostolica descendens, jure ac merito retineri debet.*

Quaeres 4. *Quinam sit extraordinarius minister dispensandae Eucharistiae?*

Resp. Solus Diaconus, ut constat ex praxi veteris Ecclesiae, quae olim hoc officium commiserat Diaconis, ut declaratur in Conc. Carthag. IV. ubi dicitur: *Diaconus, praesente Presbytero, Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussu eroget.* Et Conc. Aquisgranense, cap. 7. *Sicut in Sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio Sacramenti est: ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat.*

Quaeres 5. *Quinam sit subjectum Eucharistiae?*

Resp. Est omnis et solus homo viator, baptizatus, et mentis compos. . . . Dicitur 1. *Omnis*, sive sanus, sive moribundus, modo nullum vel vomitus, vel alte-